







18. 1723, 7 8  
41.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
**DE OFFICIO**  
**LACTANTIVM,**

QVAM  
IN ALMA ET PERANTIQVA ELECTORALI UNIVERSITATE  
HIERANA,

MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,

REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO

**JO. JOACHIMO HAHN,**

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curia Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B.M.V. & ad S. Joannem Moguntiae, respectu Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

EX CONSENSU ET DECRETO GRATIOSAE FACULTATIS  
MEDICAE

PRÆSIDE

**DN. JO. FRIDERICO DE PRE,**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE,

EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO ET ARCHIATRO,  
ANATOMIAE, BOTANICES ET CHIRURGIAE PROFESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICAE ASSESSORE ORDINARIO NEC NON CIVITATIS  
ERFORDIENSIS SENATORE,

PATRONO, PRÆCEPTORE, PROMOTORE AETERNUM OBSERVANDO,

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA

DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

AUTOR ET RESPONDENS

**BARTHOLOM. WERTZ,** *Thimisterio-Limburgens.*

DIE APRILIS, A. O. R. MDCC XXIII.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGH MAJORIS H. C.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typegr.




**DEO  
PATRI  
PATRIÆ  
PRÆCEPTORIBUS**

*ERFURTENSI PRÆSIDI  
LOVANIENSIBUS  
LUGDUNO-BATAVIS  
HALENSI.*

**PARENTIBUS  
AMICIS.**







## PROËMIUM,



**I**nevitabilem vitæ nostræ terminum divinitus, ac naturaliter præfixum, angustissimisque (si cum antediluviano conferatur) circumscriptum limitibus paucissimi assequuntur. Brevioris antediluvianâ modernæ vivendi ætatis rationes varii varias allegant, quas determinare, utut cuilibet sit integrum; nemo tamen, speramus erit hodie, qui cum *Epicuro* hujus universi senium, atque ob effœta ponè diuturnitate temporis rerum elementa, inertiam, languorem, ac quasi marasum absurdè incusèt: quippè tam certi cœlorum motus, tam rati astrorum ordines, tam constantes tempestatum vicissitudines, tam lætus tum herbarum, cum animantium proventus longè aliud spirant, eandem nempe, & perennem legum immutabilitatem, quâ divinum Numen mundum providentissimè regit, & conservat, ac

A 2

quotan-



quotannis revirescere, atque repubescere facit. Firmiori staret talo *Burnet de vicissitudinibus tempestatum anni*, & *inequali cœli aëris & mundi exterioris*, ut ait, *actiōe in corpus nostrum velut genuinis hujus rei causis opinio*, nisi diruto fundamento (fabulosâ scilicet quam confinxit author, telluris, & anni formâ, æqualique cœli ante diluvium temperie) præceptis & ipsa rueret. Rem acu tetigisse videntur ii, qui hujus fati causam à novo universim recepto, eoque abusivo rerum non naturalium usu derivant; hic verò nùm in carniū esu, nùm in fermenti & salis usu, nùm alia in re consistat, nec lubet nec vacat inter tot discrepantes clarissimorum authorum sententias decidere, cum potiùs animus nobis sit de causâ, cur è mille vix unus statutum sibi vivendi terminum attingat, breviter præfari. Hac in re plerique medicinæ proceres iterum rerum non naturalium abusum reclamant; eò quidem majori jure, quò sæpiùs norant hunc odoris nosocomici impatientem, & nauseabundam animam putidâ cum popinâ fermè exhalantem, illum à diuturniori in sordidâ veneris palæstrâ exercitio elumbem, alium vel immodico exesum mœrore, vel anxîâ exanimem sollicitudine, eò inquam majori jure, quò magis obviam, & quotidiana est præmatura ab his, similibusve in rebus non naturalibus commissis erroribus inducta mors. Huic causæ addit *clar. Fridericus Hoffmannus* præceptor, patronus mihi æstumatissimus præter hæreditariam morbosam dispositionem, medicos rudes, & hospites in notitia eorum præsidiorum, quorum ope vitam cujuslibet curæ suæ concreditam termino suo





suo coëxtendere valerent: hæc, fatemur, frequentes præmaturæ mortis, exhibent causæ; interim dubitamus, utrum rarius sese offerat perversa infantis lactandi methodus: experientia namque, quæ lactentem à malè morata lactante innutritum omnibus penè morbis, & inde resultanti præmaturæ morti patere constat, adspulatur ratio, & evincit, tenellula vitæ humanæ stamina, nisi beneficio congruæ lactationis adversus injurias externas rite solidentur, densentur, compingantur, hisce facili Marte cessura, atque ubi vix fuerint nexa, dissolvenda; quod cum animo voleremus, nobisque thema inaugurale incumberet conscribendum, visum est pro modulo ingenii nostri agere de officio lactantium, atque indicare legitimum & illegitimum lactandi modum; illo enim servato, & hoc vitato præcidetur radix, ex qua infantiles morbi uberrimis surculis succrescunt, atque ita præcludetur plenis aliis in infantiam alveis corrivare, eamque stygiis undis præmaturè mergere solita morborum scaturigo. Primos hosce conatus nostros divinâ suâ gratiâ fecundet, eosque uti & ultiores præstiruto sine beet summum Nucien.

Caput I.

DE

REQUISITIS AD LACTANDUM.

APHORISMUS I.

Cum potiora ad lactandum requisita matrem cernant, non diù occupabimur inquirendis iis,



quæ ex parte infantis requiruntur; siquidem vix quidquam ab hoc desiderari potest præter naturalem oris, hujusque partium fabricam.

*Scholion.*

Lactationem nonnunquam impediunt connata, & partibus oris potissimum affixa vitia: etenim si os risus sardonius, aut spasmus cynicus obliquè distorqueat, illudve maxillæ inferioris immobilitas obstipet, si nativa labiorum adaucta magnitudo faciem deturpet, vel eorundem nimia brevitates dentes ingratosè denudet, si descensus aut prolapsus uvulæ, hujusque nec non tonsillarum, aliarumve oris partium præternaturalis excrescentia trachææ, vel œsophagi ostia tumore aut compressu oppessulet, si linguæ duplicatus numerus, aridura, resolutio, arctior restrictio, immodica amplitudo, crassities, longitudo, brevitates, eminentia carnosæ mobilitati ejusdem officiant, si inquam hi vel alii corvi aut acquisiti affectus os obfideant, palam existit, eos lactationi aut omnimodè obfuturos, aut saltem notabiliter præjudicatuos. Verbo ex parte lactentis ita omnia sint comparata, ne quid solutioni novercetur, sed cuncta potius eidem patrocinentur. A lactente ad lactantem.

APHORISMUS II.

Mater sive nutrix pusionem lactatura geminas ostentare queat acclivi in pectore mammas, & utriusque è medio exurgentem papillam.

*Scholion.*

Unicam quidem mammam lactationi sufficere persuasissimum sumus, tamen ornatus & commodioris lactationis gratiâ duz naturaliter musculis pectoralibus superstratæ sunt, sicuti enim numerus earum ternarius, aut quaternarius commoditati & venustati nequicquam addit, ita utrique simplex non parùm demit.

sup

ε Α

APHO.



( 7. )  
APHORISMUS III.

Binæ hæ amoris illecebræ, pulchritudinis gemmularæ, lactis & officinæ, & promæ condæ legitimo, ac naturali suo contextu gaudeant.

*Scholion.*

Debitus, ac naturalis harum partium exurgit contextus, si ex copiosissimis vasculis vel variè circumvolutis, vel expansis, succosis, pulposis in substantiam glandulosam, aut vasculosam, & hinc enatos tubulos lactiferos ita distos, modò diductos, modò coarctatos cellularum ad instar & cisternularum lac colligentes & asservantes, & in fistulas angustiores, & ab his fasciculatim nexis eformatam desinentes papillam tornatæ, vasis revehentibus instructæ, pinguedinosi copiosè & undequaque intertextis globis completæ & sustentatæ, nervorumque ramis per omnem substantiam disseminatis, atque in extremas papillas collectis sensiles, & tenæ formam cullibet notissimam natæ fuerint.

APHORISMUS IV.

Ingeniosissima hæc mamillarum ex vasculis sanguivuis, lacteis, fistulis exilioribus papillaribus fabrica non nuda sit & passiva, aut, ut in præcedenti scholio obiter notavimus activa, seu tono, & elatere instructa.

*Scholion.*

Quemadmodum quæcunque corporis partes exilissimis etiam membranalis, & nervulis amictæ motibus suis (ut potè finè quibus nihil vivi, nihil sani in corpore peragitur) seu tonicis, seu oscillatoriis aguntur, ita quoque mammarum, ut inoffensè destinatum sibi munus obeant, fibroso-tubulosa substantia elastica sit, id est tensa, & flexilis cum quadam mollietate: nam in plerisque harum uti & aliarum partium affectibus, item in vitiatò lacte laxum & strictum methodicorum, neque infimæ notæ neotericorum medicorum potissimum incusanda asserere non dubitamus, ne dicamus lactis elaborationem



tionem, benignitatem, suctionem absque motu hoc expansio-  
rio, & constrictorio vel periclitari vel annullari,

## APHORISMUS V.

Mamillæ tali mechanico artificio structæ, compressiui resolutivæque aptæ immunes à quocunque præ-  
ternaturali affectu sint.

*Scholion.*

Mulierculas fœtum enixas interdum lactationi inhabiles reddunt varii, iique sat graves mamillarum affectus: præterquam enim quod modo papillæ defectu, brevitate, introrsum retractione, fissuris, excoriationibus vitentur, modo tumore œdematoso, flatuoso, erysipelaceo, schirroso, serophuloso, modo cancroso, verminoso, inflammatorio in gangrænam, & sphacelum abeunte infestentur, non raro etiam evenit, ut jam lactis copiâ graventur, jam ejusdem penuriâ premantur, jam indurescant, solidescant instar ossium, ulcerscant, jam corrugatis introrsum fibrillis foveâ ingenti conspicuâ sese retrahant, jam denique alios in observationibus medicis consignatos affectus incurrant, à quibus liberæ exposcit lactatio mammas.

## APHORISMUS VI.

Mamillæ sufficienti lactis laudabilis quantitate divites sint, hæc superbire poterit muliercula, dummodo brevissimè, & prosperè partu defuncta, à collectis tempore gestationis sordibus beneficio congrui fluxûs lochiorum repurgata, & mamillis, ut ante conditionatis decorata lactis generationem, collectionem, benignitatem nullo modo remoretur, inhibeat, depravet, quomodo autem id frequentius obtingat, dicetur aphorismo 18vo, cum verò ejusdem sequestrationis meminimus, juvat ejus materiam, modum, & causam indigitare.

*Scho-*



Sicuti non tam absurdo secretionis in genere negotio quam damnosâ novaturiendi libidine, & noxio analogismo varias hac super re in sententias schola medica scissa est, ita quoque iisdem ex capitibus hæc specialis lactis generatio varias variis extorsit opiniones, dum hi peculiare fermentum affimilans, præcipitans, fundens, illi determinatam pororum & humorum figuram, & magnitudinem, alii spirituum cum materia fecernenda miscelam reclamârunt; hæc verò cum pone deleverit ipse dies, & purior recentiorum physiologia, iis refellendis non immorabimur, sed potius nostram circa hoc negotium mentem explanabimus solummodo de secretionem lactis breviter disserturi, cum sit omnium secretionum unica materies, modus unicus, unica causa. Sanguis nempe vi motrice cordis, aortæque & subclaviarum arteriarum continuatâ in mammarias protrusus perenni in & per miras mammariarum arteriarum contorsionum spiras pressione & succussione tritus alium conquirat particularum suarum numerum, aliam nanciscitur earundem figuram, alium adipiscitur earundem situm & motum. Verbo purpurâ & naturâ suâ exutus lactis candorem & indolem induit.

## APHORISMUS VII.

Mammis benigno lacte turgidis admoveatur infans: illud enim exsuctum, seu ut melius loquamur ampliatâ inspirando thoracis cavitate, atque aëris gravitate & elasticitate nec non blandâ interdum mamillarum ab infante contrectatione ex ostioliis suis in os lactentis propulsum, & deglutitum naturale, sufficiens, & congruum solidescens seu esculenti, & diluentis seu potulenti vices explens alimentum existit, atque ita si debitò illud eidem lactans porrigat, de spe non levi nec inani longævitas sui lactentis sibi adblandiri valet.

B

Ca-



## Caput II.

DE

## DEBITO LACTANDI MODO.

## APHORISMUS VIII.

**H**unc tradituros primo nos ad se vocat lactans eligenda: multum enim interest, quo lacte primordialia pusionis evoluta stamina ulterius auferant; quin lactis vehiculo pusionis animi non minus quam corporis lactantis vitia imbibere in vulgus etiam sparsum est, & historiis medicis aphorismis 16. & 17. confirmabimus.

*Scholion.*

Satius quidem foret materno, quam conductitio lacte pascerentur infantes; at cum aulica, & quibusdam in locis urbana mollities (ne dicamus barbaries) non modo, verum & prematuro, difficili, crebriori partu exhausta, delicatula, sensibilis, & gravioribus animi pathematibus in transversum agi solita, aliove morbo emaciata puerperae constitutio tenellis mamillas maternas vel nefarie vel consulto subducant, illis de nutrice providendum est, in cuius electione praeter formae, capillorum, animi morum, mammarum examen lac ipsum, uti & valetudo examinantur & probantur.

## APHORISMUS IX.

Si nutrix quocumque fato conducenda formae elegantiae, aetatis mediocritate, morum suavitate, animi tranquillitate, virtutum sobrietatis & castitatis praecipue laude, lactis praestantia, corporis robore denique sese commendet: haec etenim omnia uti & eorum contraria in infantum corpora & animas transplantari certam observationum fide constat.

*Sebo-*



Quantumvis eximiis hisce corporis & animæ dotibus conspicuæ nutricis ministerium nil nisi necessitatis leges au-  
thentizent: quas enim & sibi & suo infantulo extra hunc ca-  
sum renuens ubera mater cudat ægritudines, videre est in dis-  
sertatione habitâ sub præsidio *clar. Domini Præsidis de noxio nu-  
tricum ministerio*, & nisi alia asciticium istud lac, utut candidum,  
atro calculo notaret ratio, sufficeret ea, quam suggerit meco-  
nium non meliori quàm animali laxante, & educente me-  
dicamento movendum, & extrudendum.

## APHORISMUS X.

Emancipati nutricum ministerio infantes hac ani-  
mali, & à natura primarum viarum, intestinalium, &  
urinariarum fordium educationi destinatâ medicinâ seu  
coloostro defraudantur.

## Scholion.

Colostrum est illud primis à partu diebus tenuius è mam-  
mis stillans serum, quod vi suâ stimulante & diluente oris,  
& œsophagæ ad anum producti tubi impuritates abstergit, &  
exterminat. Colostrum est serosius lac, quod vi suâ, quâ  
pollet, diuretîcâ vias urinarias optimè eluit. Colostrum de-  
nique est illa præsentissima infantilium morborum prophylaxis,  
ita quidem ut hæc veluti & supradicti effectus nec eâ facilitate,  
nec eâ felicitate, nec eâ temporis brevitate, nec eo ordine ab  
ullo alio medicamento expectari possint. Hic stupendum divi-  
ni mechanici digitum senserit parcissimus etiam Numinis cul-  
tor, qui adorandâ sagacitate taliter colostrum hocce signavit,  
ut primo à partu die ad mammas ruens, & exsuctum poten-  
tius purget, secundo & tertio die mitius purgando operetur  
& copiosam educat urinam, tandemque à vi medicamentosâ  
in laudabilem vergat alimoniam. Cum igitur colostrum in-  
fantibus neo natis primum sanitatis futuræ, & ad ætatem pro-  
vectiorem durablem jaciât fundamentum, repudietur extra ca-



sum necessitatis nutrix, materque lactans non emulgeat, sed infanti præbeat divinam hanc medicinam.

APHORISMUS XI.

Ingens est rerum non naturalium in sanitatem & lac matris potentia; quamobrem hæc debitum illarum usum servet. Nec non bonos mores, virtutes studiose excolat.

*Scholion.*

Lactans requisitis in aphorismo secundo ad  $\gamma$  mum gaudens. puro sincero, & temperato aëre affata, circumciso, & laudabili cibo, tenuique & sufficiente recreata potu, motu satis exercita, vigiliis modicè intenta, somno & quiete tranquillis refocillata; deinde ab excernendis libera, retinendisque grava, tum exule omni infolito pathemate animi tranquillitate demulsa, virtutum denique decore eximia læto benigni lactis in debitam infantis alimoniam cessuri proventu locupietabitur.

APHORISMUS XII.

Lactis bonitas ex mediocri spissitudine, mediocri tenuitate, dulcedine, & liquiditate item à sanitate mulierculæ illud fundentis dijudicanda venit.

*Scholion.*

Non rarò equidem contingit lac ab assumptis alienas mutuari qualitates à croco v. g. flavo, à rhabarbaro luteo tingi colore, ab allio saporem alliaceum referre, ab aliis denique assumptis aliter atque aliter in sua crasi & textura alterari; quod tamen nisi modum excedat, vix ejus bonitati oberit, quin è contrario suctione elicitarum vim medicamentoſam eidem assumpto propriam, maturo judicio medici sibi communicatam non absque commodo infantis corpusculo fenerabitur.

APHORISMUS XIII.

Lac, ut ut benignis dotibus characterisatum, tamen



men promiscuè omnibus infantibus idem eâdem copîâ, eâdem frequentîâ tutò offerri nequit, quin variante ætate, anni tempestate, & aère non inconsultò quoque variant lactis propinandi qualitas, quantitas, frequentia.

*Scholion.*

Verissimum est *hypocratis* effatum *copia & vires alimentorum ad corporum vires æstimanda*: huic enim ad lac subigendum firma & vegeta fibrarum ventriculi motricium vis, illi verò imbecilla, & iners à natura est indita, atque ità sicuti primum lac crassius commodè alit, ita secundum potius emaciat, & in varias conjicit ægritudines, quas lac tenuius prioris incremento non ità congruum dissipabit robori, & alituræ posterioris verò accommodatissimum, dein nisi copiosius, & magis substantificum semestri, novimestri, & sesquienni quàm recens nato & trimestri infanti (cui crebrius, parcius, tenuius competit) item hyeme, quàm ætate, cælo sereno, quàm nubilo & humido porrigatur lac, an caninæ latrantis stomachi fami satisfiet? an sicca & aspera clamorâ siri fauces humescent, & mollescent? an mare rubrum microcosmicum effluxu depauperatum novo refluxu redirescet? nùm sitibundæ roris alibilis partes sat potabuntur? neutiquam: ratum igitur erit, ut quilibet pro varietate prædictarum circumstantiarum parco, largo, crebro, raro, tenui, crasso lacte sustentetur infans, ita quidem, ut primis mensibus omni bihorio parco & tenui, post tres vel quatuor menses sexies aut septies largiori & crassiori, postmodum verò bis terve de die copioso & magis substantifico lactis pabulo non tam infantis ejulatus compescatur, quàm debita lactatio administretur.

APHORISMUS XIV.

Debita lactandi methodus quoque requirit, ne matres commodæ nimis, & delicatulæ infantes citò ablaçent, sed potius ad sesqui annum lactis continent

B 3

usum;



usum; ast si æqua ratio, aut tempus ablaclationis adrepens hanc suadeat, è re erit, ut absque noxa afflueto carere, infueto frui alimento doceantur.

*Scholion.*

Matres citrà necessitatem infantibus commodissimam, & naturalem alimoniam suffurando, & vires, & firmitatem partium suffurantur; si verò debitum ablaclationis tempus causa quædam iusta anticipatura prævideatur, vel si lactationis tempus sensim ad finem vergat, ultimis mensibus lacti societur medulla panis similaginei cum aqua & butyro in pulciculam excocta, quam lactans propriâ salivâ prius maceratam, atque ita chyli rudimenta indeptam infanti porrigat, ità tamen, ut sub finem mammam vel *infusum ex rad. ghyeyrrhizæ, herb. veron. & scorzon.* concinnatum dilutionis, & melioris digestionis gratiâ præbeat. Huic poterit substitui *decoctum boræi corticibus citri infusum*, quod sicuti & præcedens infusum congrui potûs, & præsentaneæ medicinæ loco erit. Hisce ad amissim observatis germanæ matris titulo insigniri poterit lactans, ast pro dolor a materno candore sæpius in novercarum degenerant livorem, plurimæ & pusillum suum multis indiscretè objiciunt mortis cum lacte exsugendæ periculis.

### Caput III.

DE

### INDEBITALACTANDI METHODO.

#### APHORISMUS XV.

CUM obstetrici potiùs quàm lactanti educendo meconio, abluendæ & detergendæ cutanæ sordi invigilare incumbat, vitia ex hujus rei supino neglectu emergentia non diu nos remorabuntur, eò quidem minus quò magis nobis persuasum habemus, id datâ occasione à clar. Domino præside in dissert.



*fert. de officio obstetricum solidissime & profundissime pro more suo demonstrandum; interim nec ea fugitivis possumus prætervolare alis cum necessaria colostris emulgeri soliti mentio eò nos vel invitos trahat, & ea summis saltem labris delibanda nobis apponat.*

*Scholion.*

Invaluit pessima muliercularum consuetudo, ut colostrum tanquam infanti nocivum datâ industriâ emulgeant sua detrectantes ubera, donec butyraceo tumeant lacte, quo tamen nihil aliud agunt, quàm quod materialem torminum, epilepsia, pavorum aliorumque infantilium morborum causam in primis viis nidulari sinant, quin & eandem butyracei lactis tenellulum ventriculum aggravantis accessu foveant, & instruant magis: præterquam enim quod corpora impura, quò magis nutriuntur, eò magis lædantur, palam etiam existit, lac crassius stomachi trituram, & undique ex hujus vasculis, & vicinis confluentium vaporum nubem elusurum, & in cruditatem meconio accessuram degeneraturum, atque ita prædictas & varias aliorum morborum species machinaturum.

APHORISMUS XVI.

Morbida mater minùs maternum & amicum infanti proprio lacte præstat officium; quandoquidem vitiosus character lacti materno impressus eandem, nisi graviozem infanti labem affricat.

*Scholion.*

Lithiasin per nutricem in puerum derivatam notavit *Helmontius*. Lue venereâ per matres infectas binas puellas observavit *Michael Ettmull. in nosocom. patav.* nutrices gravedine, coryzâ vexatas ad affectus consimiles eos, quos nutriunt infantes proclives reddere, scorbuti labem multiformem per mammas in fugentem propagari nil novi est; forsitan rarius & curiosus illud multis videbitur, cujus meminit *clar. Frid. Hoffmannus in medic. sua consultat. tom. 2. casu 4. pufillum a matre*  
ter-



tertianaria lactatum febrî tertianâ spontè tamen, ubi febriles matris paroxysmi antifebrilibus pacati conquieverunt, silente fuisse correptum.

APHORISMUS XVII.

Non modò corporis, sed & animi vitia aurigante lacte infanti invehit lactans.

*Scholion.*

Bibacula nutrix puellam effecit admodum siticulosam, meretriculam venereas favillas lacti duodecimo aetatis anno in filiola in apertam erumpentes flammam incussisse compertum habemus; iram, pertinaciam similesque breves animi insanias cum lacte lactenti communicari quotidianum est, & cui mirum id videatur? Cùm constet brutales proprietates & mores viâ lacteâ in infantem meare & in vitam perdurare, ut in pueris à cerva, item à capra lactatis observatum fuit. Nec hisce acquiescit lac animi moribus, & pathematibus sigillatum, sed etiam præter consimiles animi mores ingentes causatur pufillo turbas, & præternaturales morborum insultus: ita enim, ut unius ex infinitis meminerimus, experientia magistra docet infantem nutrice gravi irâ, vel terrore correptâ epilepticas incurrere afflictiones, nisi hæc studiosè & frequenter mammas emulgeat, & sedulo caveat, ne eum intra 24. horas mammis applicet.

APHORISMUS XVIII.

Lac crassiusculum, caseosum, coagulatum, acre, falsum, acidum, aliâve insolitâ qualitate deterioratum infanti noxas non leves infert: hinc injuriôsa in infantis innocentiam est lactans, quocunque tandem abusu lac suum hisce, similibusve modis pejorans.

*Scholion.*

Tanta est iniquo hoc sæculo nonnullarum muliercularum procacitas, tantus vestium luxus, tanta vivendi perverfitas, ut non modò proscripto omni pudore vel negligenter coopertæ



coopertæ mamillas nudas, vel studio arctiori stricturâ superiora versus coactas (solutæ si forent è vivo macello venum expositas diceremus) & aëris contactui, & obviatorum oculis objiciant, verùm etiam diæteticis regulis insuper habitis otio, delitiisque diffuentes gulæ, animique pathematis fræna laxent: quo pravo regimine strictis vel atonis mammis, infracto ventriculi & aliorum viscerum tono, totâque œconomîâ animali susdeque versâ lac quoque pervertunt, & depravant, quod infanti propinatum pro variâ peccante qualitate varias morborum species in scenam trahit; ne enim attingamus eas, quas ejus aciditas, falsedo, acrimonia inducere apta nata est, & quas quadantenus aphorismo isto notavimus crassiusculum, butyraceum lac infanti propinatum, & motui tenerarum ventriculi fibrarum adstrictorio, atque inde expirantibus effluviis inobsequiosum non in naturalem abit emulsionem, sed in coagulum viscidum conglabatur, & mineram aphtharum, crustæ lactæ, achorum & similium affectionum ditissimam constituit.

## APHORISMUS XIX.

Excessiva lactis quantitas, & pulmenta ex pane, ovis & lacte parata, potusque spirituosiores infantibus exhibita abusibus in lactando pariter sunt accensenda.

*Scolion.*

Lactantes lactentium aetuis fallendi causâ mammas continuo vel invitis obrudentes, roboris eorundem firmandi ergo ubertim, analepticis, spirituosos eos pascentes simias æmulantur: Sicut enim hæ præ nimio affectu strictiori catulorum suorum pectori appressu iis animam exprimunt, ita & illæ dum suos infantes copiosè & substantificè nimis cibant, & potant, sæpè necant & dum ubertim lactant, crebro macant,

C

APHO-



APHORISMUS XX.

Quî fasciis peccetur, quî aliis mulierculis magis quàm nobis cognitis delinquatur, reticebimus, id solum conclusionis hujus capituli loco adjecturi, lactantes inconsultò infantem à levi etiam frigore defendere.

*Scolion.*

Vulgaris ac pessimus error est, quo delusa pieræque mulierculæ omni circumspiciunt solitudine, ne suos, aut sibi commissos pusillos leviuscula frigidi aëris aura afflet, hinc accidit, ut infantes hac ratione mirum quantum emolliti mitissimi frigoris, ne dicamus liberioris celi auram graviter ferant, & coryzas, catarrhos, gravedines, raucedines, tusses indè reportent. Non ita tenerè suos tractarunt veteres Germanicæ matronæ, sed eos recens natos gelidæ vel ipsis immersere stuvii, ut ita primis ab unguiculis frigori adfueti constantius robor induerent, quem solennem morem nisi abrogassent matres, hodierni indubiè Germani ab habitudine prisorum Athletica non deflexissent.

*Digressio brevis.*

In divisione dissertationis nostræ locum quoque dederamus capiti pathologico & semiologico, verùm cum prævidere, eandem præter voluntatem in molem nimis amplam excreturam, dato studio prioribus capitibus multa hisce locis destinata inferuimus, causasque morborum, ubi per tractationem licuerit, in capite sequenti, indicare statuimus. Notas verò cujuslibet morbi infantilis characteristics ediscat animus sciendi avidus apud authores practicos. His igitur bonâ veniâ lectoris benevoli prætermisissit.



Caput IV.

DE

PRÆSERVANDIS ET CURANDIS  
MORBIS INFANTILIBUS.

APHORISMUS XXI.

**S**I lactantes in servanda præscripta methodo, & in declinandis indicatis lactandi vitiis exactiores forent, laudabiliter & facillimè infantilium morborum præservatrices agerent, sed cum pleræque contrariâ planè gradiantur viâ, præservandi brevissimam methodum trademus, quæ scilicet in eo maximè posita est, ut infans à sordibus probè mundetur cutem, os, fauces, œsophagum, ventriculum, intestina, renes, ureteres, vesicam occupantibus.

*Scholion.*

Ad saburram primarum, intestinalium & urinarium viarum educendam, aphorismo decimo, & hujus scholion commendavimus colostrum, cui alioquin præter compressiones abdominis non inutiliter substituitur mitissimum laxativum simul & absorbens paratum ex *pulpa passul. min. syrup. de cichor. e. Rhabarb. pulv. corall. rubr. pporum & oculis cancri.* cutaneas verò sordes & abluunt, & proliciunt repetitæ & frictionibus sociatæ lotiones cum aqua tepida, & quidem, si virium ratio permittat, primâ septimanâ quotidie, reliquis alternis aut tertiis diebus reiterandæ, donec sordium puram cutim glabrities, mollities, rubor, & nitor venustent.

APHORISMUS XXII.

Recensuimus aphorismo 18vo. vitiosas quasdam lactis qualitates, quarum correctio, cum ad prophylaxin



laxin infantilium ægritudinum magnum ferat pun-  
ctum, hic paucis videnda est.

*Scholion.*

Sicuti in lactis ubertate concilianda, in ejus benignita-  
te procuranda, grumofitate cafeofa attenuanda præter legi-  
timum rerum non naturalium ufum, sobrium nimirum &  
circumcifum victum, modicum corporis exercitium, animum  
compositum *anisum & feniculum, cuminum* ante omnia ex-  
cellunt, ita quoque hæc in acrimonia ejusdem invertenda,  
aciditate obrundenda, falfedine removenda omnem implent  
paginam, quid agendum lacte à lactantis ira vel terrore cor-  
rupto aphorifmo 17mo, innuimus, hæc aliaque hætenus in-  
juncta leviori Marte infantilibus affectibus prævenirent, eos-  
que prima ab herba jugularent, quam optimè inftituta the-  
rapeufis iis mederi queat; aft pro dolor cum contrario lac-  
tantis aufu, & multiplici ejusdem ignorantia, aut incuria  
errato graviffimè infantum plectatur innocentia huic patro-  
cinaturi generalioribus à perversa nutritione fubnafcentibus  
vitiis remedia opponemus præmonentes, medicamenta lacti  
vim fuam falutiferam feneratura non incongruè lactanti ex-  
hiberi.

APHORISMUS XXIII.

Familiariffima funt infantibus ob pravam lacta-  
tionem ut aphorifmo 15to. inftinuat, tormina, cardia-  
lgia, non raro viridium, porracearumque dejectio-  
num, tenesmi, afthmatis, tuffis, vermium, flatuum, &  
hypocondriacæ inflationis, vomitûs, fingultûs, epi-  
leptiæ, induratae alvi fatellitio ftipata, utut plurimi ho-  
rum pediffequorum quandoque foli incedere norint.  
Quibus fopendis, removendis quadrabunt antifpas-  
modica, corrigena, diluentia, purgantia, enemata,  
balfamica, carminativa, anthelmintica maturo medici  
judi-



judicio causæ proximæ, remotis, affectibus concomitantibus prius cognitis opponenda.

*Scholion.*

Hoc in passu causæ proximæ locum spasmodica fibrarum ventriculi, & intestinorum nerveo-membranosarum stritura cerebro in epilepsia, diaphragmate in singultu, pectore in asthma, & tussi consonantibus. Antecedentis verò acida, nidorosa, acris, viscida vel aliter peccans saburra. Prædisponentis tenellula & sensibilis infantuli constitutio, præcatartica noxia lactatio sibi vendicant. Antispasmodica sunt flor. rosismar. satv. chamomil. lilior. albor. til. sem. anis. fanic. spir. viir. virriol. sal dulc. ol. de cedro, nucist. cbamom. menth. mille fol. &c. corrigentia sunt: test. ovar. lap. cancr. mat. perl. sperm. ceti, cinnab. nativ. antim. C C. ebur ustum, unicornu, limatura martis, succ. citri, berber. ribi. ceras. acetos, fragor. rad. alb. lil. alb. consol. maj. flor. croci. melilot. sambuci omnes marga, boli ac terr. sigillata, borraç &c. Diluentia sunt decocta & infusa ex herbis, radic. flor. semin. adductis. Purgantia sunt Rhubarb. Mercur. dulc. manna, tamarind. pulv. mechoacan. albe, Enemata conficiantur ex emollientibus & oleosis. Balsamica sunt spir. sal. ammon. anisat. caryophyllat. liq. C. C. succinat. sal volatil. CC. succin. Myrrh. olea dest. cardam. mac. caryophyl. cubeba & spir. bals. peruv. spir. succin. mastych. ess. cort. citr. aurant. Carminativa sunt balsamica & antispasmodica, Anthelmintica sunt mercur. dulc. ranacet. absinth. centaur. min. marrub. alb. agrim. scord. ruta, sem. santon. hæc pro rei & causarum & circumstantiarum exigentiâ selecta, & in varias tornata formulas non inutilem locabunt operam, umbilico quoque applicari possunt emollientia lacti incocta, & vesicæ infusa.

APHORISMUS XXIV.

Lactantis vitia quasi per traducem in lactentem migrare ex innumeris pauca aphorismo 16to evicerunt exempla, si igitur muriaticum lactantis lac bal-

C 3

fami-



famicam infantilis cruoris diathesin morbosè condiat, & teneram solidorum fabricam mordicet, si illud è rosis venereis in spinas acuminatum pudicam tenelli carnem pungat, sordidisque maculis, pustulis, papulis, gummatibus dehonestet, si illud denique purpuram sub candore occultans, aut his aliisve vitiis infame lactentem, iisdem tingat & notet, cura potius ad lactentem, quam lactentem est dirigenda, & adornanda remediis cuilibet speciali affectioni renovendæ paribus, ita tamen ut pusillo in primo casu loco potius decocta & infusa antiscorbutica, in 2do purgans ex *mercur. dulc. & extract. rhabarb.* porrigere liceat, pravyos verò animi mores nil nisi medicina moralis corrigit.

APHORISMUS XXV.

Diximus quoque lactis vitiis quocunque tandem materno errato inductis præter varios, quos inferunt morbos, infantem fordescere. Ita enim jam hujus caput achores, tinea defœdant, jam lingvam exulcerant aphthæ, jam lactumina faciei obfuscant nitorem, jam crinones, ut alia mittamus, has illasve denigrant corporis partes, priorum quatuor affectuum cura vix differt; quartus verò singularem & sat vulgarem exigit, foras scilicet proliciti dracunculi repetito balneorum, & mellis usu novaculâ detruncantur.

*Scholion.*

Achores, tinea, lactumina, aphthæ vix ullum, ut dictum est, in curatione fortiuntur discrimen; si enim corrigentia, sanguinem depurantia, laxantia pro re nata in usum vocaveris, non erit, quod in cura desideretur, nisi quod in aph-



aphthis externè linteola urinâ infantis madida, item *succus raparum cum saccharo*, & vitello ovi *subaditus*, in aliis verò affectibus

linimenta saturnina non abs re superaddi queant.

APHORISMUS XXVI.

Ultimæ in aphorismi 20. scholio ex nimia matrum sollicitudine suborientes ægritudines sunt catarri, coryza, gravedo, raucedo, tussis humida, pectoris infarctus. Præstantissimi hoc in casu usus erunt ea, quæ stagnantem lympham resolvunt, in motum cient, & ejus acrimoniam subsistendo contractam mitigant, stricuras solvunt.

*Scholion.*

Stagnantem lympham resolvunt, & in motum cient *sperma ceti, succin. myrrh. spir. sal. ammon. Tinctura tartar. ess. croc. nucisl. &c.* lymphæ acredinem temperant *CC. philosophicæ ppim. lap. cancr. antim. diaph. &c.* spasmodicam partium constrictionem relaxant *ster. lac sulph. syrup. viol. sacchar. cand. ol. anis. fœnic. nucisl. &c.* hæc subactò judicio dosi, tempore, ordine pro cujusvis corporis, affectûs, circumstantiarum conditione debitis ordinata indicationibus omnibus & curæ ipsi sufficient. Superfunt quidem adhuc quidam infantiles morbi, verum quia potiores à mala lactatione oriundos vidimus, & præfixa nobis brevis prælixiorum tractationem vetat, ad finem propeamus rogantes benevolum lectorem, ut primogeniam opellam nostram dextrè interpretetur, tenuitatisque nostræ conniveat, nec agrè ferat authores. eò quod nimii forent, à nobis vix, aut non esse citatos. Hæc spe freti in eo, à quo auspicati sumus velut omnium rerum principio, subsistimus tanquam in omnium rerum

F I N E.

PER.



PERTINENS.

Nūm jure an injuriā lactans à viri consortio arceatur, problema esto; si tubæ fallopianæ ad conjugale prælium classicum canant, defensiva viri modicè Venus arma ministret, secus induciæ sunt.

**N**on *Limburgensis* toti notissimus orbi  
*Caseus*, aut modo *lac* maxima cura tibi:  
*Officium matris* nec non *nutricis* adumbras,  
 Atque doces, qualis debeat esse liquor,  
 Quo ceu mellifluo lactetur Nectare lactens,  
 Et nutet vertex ebrius hocce mero.  
*Vertice* tuam laudem lallabit ab ubere pendens  
 Atque tuis cæptis plaudet utrâque manu.  
 Plures infirmos non spe lactabis inani,  
 Quorum ceu filo pendula vita tremet;  
 Restitues, vitæque dabis, quos dira notavit  
 Atris *Morbonæ* jam *Libitina* notis.  
 Esto tuo patri, patriæ laus, esto medela  
 Omnibus his, quorum languida corda dolent,  
 Usque tibi rutilum pandat *via lactea* cælum,  
 Et capias meritis præmia digna tuis.

Hicce Nobilissimo & Clarissimo Domino Doctorando suo  
 hucusque ad integrum ferè annum in collegiis pri-  
 vatis auditori assiduo gratulatur, & ob morum in-  
 tegrîtatem, exactam rei medicæ scientiam, & ad al-  
 tiores honores capacitatem ex animo prospera cun-  
 ctia precatur

PRÆSES.



Erfurt, Diss., 1723


X 2386946











B.I.G.

Farbkarte #13

18. 1723,7

41. 8

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
**E OFFICIO**  
**LACTANTIVM,**

QVAM  
MA ET PERANTIQA ELECTORALI UNIVERSITATE  
HIERANA,  
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,  
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO  
**JOACHIMO HAHN,**  
EPISCOPO METELLOPOLITANO,

fimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hasfiam &  
na, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curia  
o Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico  
alantino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B.M. V. & ad S. Joannem  
Moguntiae, respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliqv.

ONSENSU ET DECRETO GRATIOSÆ FACULTATIS  
MEDICÆ

PRÆSIDE  
**JO. FRIDERICO DE PRE,**  
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE,

TISSIMI ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO ET ARCHIATRO,  
MIÆ, BOTANICES ET CHIRURGIE PROFESSORE PUBLICO, FACUL-  
TATIS MEDICÆ ASSESSORE ORDINARIO NEC NON CIVITATIS  
ERFORDIENSIS SENATORE,

TRONO, PRÆCEPTORE, PROMOTORE AETERNUM OBSERVANDO,  
**PRO LICENTIA**

OS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,  
BLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT  
AUTOR ET RESPONDENS

**HOLOM. WERTZ,** *Thimisterio-Limburgens.*

DIE APRILIS, A. O. R. MDCC XXII.  
T AVDITORIO MAJORI COLLEGH MAJORIS H. C.  
ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typegr.